



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 2. Gallorum Regis litteræ patentés.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

## §. II.

Sæcul. XV.

A. C. 1407.

*Gallorum Regis litteræ patentes.*

Interim Rex Franciæ Carolus VI edidit litteras patentes, Christianis inscriptas omnibus; ubi ait: Postrema hyeme congregavimus totius regni nostri concilium; in quo jacta esse credimus pacis ecclesiasticæ fundamenta. Cum enim Benedictus, & Angelus Romæ nuper admodum electus per epistolas suas consensissent in cessionem: decrevimus actutum mittere Legatos Benedicto, & competitori ejus suasuros, ut etiam scripto sponderent, se intra decem dies, postquam id rogati fuerint, in absentia alterius ab altero suæ quemque domi coram Cardinalibus suis per litteras, vel Procuratores pontificatum abdicaturos esse. Si hanc postulationem respicient: duo Collegia Cardinalium unum ac eundem adibunt locum, & ibi unum solum Papam eligent.

*Nem. p. 205.*

Si duo æmuli non velint cedere nisi præsentibus, ac in uno conjuncti loco: haud obsistemus; immo juvabimus eos potius. At si Benedictus quærat tergiversationes, aut quocunque modo remducere longius conetur: vel si Romanus non nisi præsentibus Benedicto, aut ne tum quidem velit cedere: his in casibus de sententia Ecclesiæ Gallicæ congregatæ, ac Universitatum Parisinæ, Arelianensis, &

&amp;



Sæcul. XIV.  
A. C. 1407.

& Andegavenſis illum, qui decem intra dies poſt petitionem præciſe in ceſſionem non conſenſerit, aut in hujus executione, ac rei adjunctis intra decem dies proximos noſtris Legatis non ſatiſfecerit, edicimus eſſe devitandum ut ſchiſmaticum Eccleſia extorrem, nullaque dignum obedientia, eo quod per eum ſolum ſteterit, quo minus pax fuerit Eccleſiæ reddita.

Deinde Cardinales nobiſcum bonis amplexi partes cum Cardinalibus alterarum partium in eundem convenient locum, ut unicum cooptent Papam. Si quod abſit, ne tum quidem fieret ſufficiens concordia: noſtri Legati ſtuderent eam cum altera parte conficere iis conditionibus, quas in mandatis ſibi traditis fuſius expoſitas habent. Dabamus Pariſiis 18 Febr. an. 1407 regiminis noſtri 27.

*Monſtrelet.*  
vol. I. c. 33.

*Rayn.* 1407.  
n. 3.

In principio ejusdem menſis Rex, ac Universitas ad Benedictum miſerant octo & triginta omnino Legatos, ſcilicet Simonem Cramaldum Patriarcham Alexandrinum, Amelinum Mailliacenſem Turonum Archiepiſcopum, Petrum Allium Cameraci Antiftitem, Petrum Savoifiſium Bellovaci Præſulem, Meldarum Auguſtobonæ, ac Ebroicarum Epicoſos Dionyſiopolis, Gemetici, Michaëlimontii, Clarævallis, Divioni ad S. Stephanum Abates, ac Doctores quam plurimos. Maſſiliam delati Benedicto expoſuerunt Gregorium



gorium spondere cessionem ob pacem Ec-  
clesiæ. Nisi tantundem facias, adde-  
bant, jussi sumus declarare tibi, Franciam  
universam, pluresque alias Christiani or-  
bis regiones, tibi, ac æmulo tuo denega-  
turas obedientiam. Benedictus aiebat,  
se paucos intra dies responsurum. Inte-  
rim nullo Cardinalium conscio sanctionem  
fecit, qua volebat sibi, & suis successo-  
ribus perpetuo morem geri, ac inobse-  
quentem quemcunque in anathema inci-  
dere. Hæc sanctio per certum nuncium  
Parisiis ad Regem, ac Universitatem mis-  
sa obstupescit animos: & Legati abstu-  
lere responsum votis suis nequiquam con-  
sentaneum.

## §. III.

*Conditiones congressus.*

Interim Gregorius Massiliam tres Lega-  
tos misit, Antonium Corrarium Me-  
thonensem Episcopum nepotem suum,  
quem hac legatione fungentem renun-  
ciavit Bononiensem Antistitem; Guiliel-  
mum Normannum Præsulem Tudertinum  
Quæstorem suum; & Antonium Butrium  
celebrem Bononiæ Doctorem. Post mul-  
tos colloquii dies consenserunt, ut con-  
cordia fieret per cessionem Gregorii, ac  
Benedicti, peragendam Savone maritima  
Genuensium urbe episcopali; quo in fe-  
stum S. Michaëlis diem, aut, ut quam  
tar-

Sæcul. XV.  
A. C. 1407.*Id. c. 41.*  
*Spicil. to. 6.*  
*p. 182.**Th. Niem.*  
*l. 3. c. 13.*  
*Labour. l. 7.*  
*c. 1.*  
*Ughel. to. 1.*  
*p. 246.*